



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 1. Nomen & Origo Venetæ Reipublicæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

CAPVT II.

De Republica Veneta.


RERVMPUBLICARVM longè celeberrimam proponimus hoc capite, cuius sapientiam Ottomanicis furoribus & multitudini Deus Opt. Max. opposuit, ne Italiam Christianitatis arcem hostis Christiani nominis aggrederetur. Cui subditi populi diuites, quieti, sui iuris summâ felicitate perfruuntur. De cuius senatoribus veriùs pronunciare possumus, quod Pyrrho Cyneas de Romanis apud Plutarchum, ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῶ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φωνεῖν, quòd *Senatus ipsi Regum confessus visus esset.* De hac pauca delibabimus ex eruditissimis scriptis quæ omnium penè manibus teruntur, editis à Gaspare Contareno Patricio Veneto, & Donato Iannotio Florentino.

§. I. *De statu Veneto in genere.*NUM. I. *Nomen & Origo Venetæ Reipublicæ.*

CERTVM est à Venetis accepisse nomen, de quibus egimus præcedente libro: quomodo autem hoc nomen vrbi celeberrimæ, & Reip. capiti accesserit paucis expediendum est.

Attilâ cum suis Hunis, vel Hungaris Aquileiam obsidente, & circumpositas deuastante regiones, Patauini, vt ait Blondus, & fortè aliquot alij populi vicini, thesauros Ecclesiarum & diuitias suas circa annum Christi 422. 7. Kal. April. detulere in eum locum vbi multæ Insulæ angustis alueis ab se inuicem disiuictæ sensim ex limo per flumina deuecto accreuerant; erântque volucrum marinarum sedes, & aliquot piscatorum, quos huc copiosa piscatio alliciebat ex fluminibus placido meatu circa has Insulas decurrentibus. Earum Insularum vna Ripalta dicebatur, ad quam primi incolæ confedere, ac Patauini destructo Patauio per Attilam Aquileiæ domitorem cõfugere ad liberos suos, & vxores, quibus adiuncti sunt incolæ aliarum vrbiũ Aquileiæ, Opitergij, Cõcordiæ, &c: quas eodem furore Hunus euerterat. Hic conuenarum aduentus cadit in an. Chr. 456. vnde factum, vt duplex vrbis

Z Zzz iij



Venetæ constituatur exordium, primum ad primam immigrationem, alterum ad excisam Aquileiam dirutumque Patavium. Creuit potissimum ex Gothorum & Longobardorum tyrannide, atque tumultibus, & tam multi huc confluxere Clefo Longobardo in Mediolanenses, Ticinenses, Veronenses & Vicentinos sæuente, ut tum vrbs condita de nouo videri posset. Cæterum non vno in loco confedere illi exules; sed 22. circiter condidere oppida quibus singuli Tribuni præficiiebantur à quibus iura petebant: sed eum tantam Rectorum multitudinem publico bono nocere experientiâ diurnâ didicissent, elegere Ducem anno Christi 697. qui omnibus cum potestate præficeret, quem voce patria *Doge* dixeret. Hic primum Heracleam urbem incoluit, mox Metamaucum *Metamocco*, denique Ripaltam, seu Venetias. Dux ille primum ad libitum suum Remp. administrabat, sed cum *voluptuos* non imperaret, selectus est equitum Magister Ducis loco, qui magistratus non ultra quinquennium tenuit: at Duces ut antè selecti sunt; qui quia non sine tumultu & cædibus ad hunc magistratum euehebantur, tandem anno Christi 1292. ea est inducta forma quæ hactenus cum magno Reip. commodo seruata est: de qua postea in Politia.

NVM. 2. De incremento Reip. Venetæ.

VENETI iam mari terræque potentes ante annum 1060. aliquot in Istriâ & Dalmatia loca occuparunt, sed diriones illæ & Prouinciæ quæ Statum Venetum conficiunt eo pacto in Dominium Reip. transiere.

MARCHIA TARVISANA: *la Marche Taruisane*, tota cum primariâ suâ vrbe Taruisio venit in potestatem Venetorum an. 1388. & in fide perstitit etiam post cladem Ripaltinam. Hæc Regio primum Gothis cesserat, vnde expulsi sunt à Longobardis, qui hic Marchionis sedem posuerant; quibus deuietis Imperatoribus Occidentis cessit, & Regibus Italiæ, postea Aæiolino tyranno, postea Ricardo Caminati, inde Carrariensibus, postmodum Scaligeris, à quibus ad Venetos deuoluta est anno supradicto.

DUCATUS FOROIVLIENSIS, vnâ cum MARCHIONATV ISTRIÆ, *le Frioul, ou Friul, & l'Istrie*: Imperatoribus & Regibus Italiæ paruit. Otho III. Imperator dedit Patriarchæ Aquileiensi quid-